



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 5. S. Basilius de vitæ duce sollicitus, Euangelij de venditione bonorum,
velut sortiaria lectione, ad perfectionem directus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

ante Originem & Augustinū, docuit D. Dionysius de Matthiæ electione ita loquens: *De illa sorte diuina, quæ Matthiæ diuinitus obtigit, alij quidam alia sensere, meo iudicio, non rectè: aperiam autem & ipse, quid sentiam. Videtur mihi scriptura sortem apellasse diuini quiddam & præcipui muneris, per quam illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus.* Quibus subiungit, ob reuerentiam, permisisse Apostolos, non iudicio suo, sed Deo ipsi electionem. Sunt ergo sortes quædam humana manu proiectæ, sed diuina directæ. Quid multa? *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur,* aliquando in hominibus ad certa officia eligendis; aliquando ad frugem meliorem reuocandis; aliquando in asciscendis Diuis tutelaribus, aut alijs negotijs dirigendis.

§. V.

S. Basilius de vitæ duce sollicitus, Euangely de venditione bonorum, velut sortiaria lectione, ad perfectionem directus.

Verùm videamus etiam conuersionum exempla. S. Basilius de se ipso scribit sequentia: *Ego, cum multum temporis, in vanitate, consumpsissem, & totam fermè inuentutem*

Orig. hō.
23. in Ios.
Aug. in
Psal. 30.
conc. 2.
S. Dionys.
c. 5.
Eccles.
hierarch.
part. 3.

Prou. 16.
v. vlt.

S. Basil.
ep. 78. ad
Eustathium
Sebasti
Episc.

in vano labore perdidissem, quem in disciplina-
 rum sapientia à Deo infatuata perceptione con-
 uersatus insumpsi, postquã aliquando, velut ex
 somno profundo expergefact⁹, ad admirandam
 veritatis Euangelij lucem respexi, & inutilita-
 tem sapientia principũ huius seculi exoletorum
 conspexi: miserabili vita mea multum deplora-
 ta, optabam mihi dari manuctorem ad intro-
 ductionem, ad dogmata veritatis. Et pre om-
 nibus sanè multam curam adhibebam, vt cor-
 rectionem aliquam morum facerem, multo iam
 tempore ex malorum conuersatione corrupto-
 rum. Itaq, ubi legissem Euangelium, & vidis-
 sem illic maximam occasionem ad perfectionem,
 venditionem bonorum, & distributionem in in-
 digos fratres, & in summa nullam huius vite
 curam habere, & à nulla affectione ad vite res
 animam conuerti: optabam inuenire aliquem
 fratrem, qui hanc vite viam elegisset, vt una
 cum ipso hanc profundam vite inundationem
 penetrarem. Et sanè multos inuenimus in Alex-
 andria, multos etiam per reliquam Egyptum.
 Et alios in Palestina cauãq, Syria ac Mesopo-
 tamia. Quorum quidem admirati sumus circa
 victum abstinentiam, admirati sumus item to-
 lerantiam in laboribus, consternauit me etiam
 ipsorum in orationibus intentio, & quomodo
 som-

somnum superabant, & à nulla naturali necessitate inflectebantur, altam semper & nulli seruituti obnoxiam animi constantiam conseruantes, in fame & siti, in frigore & nuditate, non corporis cura intenti, neq; sustinentes ut aliquam ipsi curam impenderent sed velut in aliena carne degentes, opere commonstrârunt, quid sit cohabitare rebus in hac vita, & quid conuersationem habere in celo. Illa admiratus, & beatâ prædicatâ virorû vitâ, qui opere ostendunt, mortificationem Iesu in corpore se circumferre, optabam etiam quantum eius à me fieri posset, illorum virorum imitator esse.

§. VI.

S. Augustinus fluctuans, fortuita apertione Epistolarum S. Pauli, & S. Antonius Evangelij lectione improuisa, conuersi.

Quod Basilio accidit, etiam Augustino, & quidem luculentius euenit, ab Alipio secedenti, ac lachrymis suis, animique luctæ, solitudinem petenti. Ego, inquit, sub quadam fici arbore, stravi me, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac

S. Aug.
l. 8. Conf.
fess. cap.
12.

Psal. 6.

que